

42. *Secus autem se habet peccatum in Spiritum Sanctum, ad cuius constitutionem, duo istae necesse requiri, sacris edocti literis asserimus: 1. Objecti loco, evidentem veritatis doctrinae caelestis agnitionem. 2. ejusdem non simplicem & nudam, non ex ignorantia aut formidine periculi, sed voluntariam, & contra proprii cordis testimonium susceptam blasphemiam & oppugnationem: Quae etsi non semper in manifestas execrationes erumpit: in Cordibus tamen saepius latitat: Quemadmodum Christus in historia Evangelica blasphemias Phariseorum cogitationes vidisse legitur.*

Peccatum
in Spiritum
Sanctum.

43. *Vtramque enim notam haud obscure exprimit Epistola ad Hebraeos, cum peccatum illud, pro quo non reliqua est hostia, sive quod idem est, peccatum in Spiritum Sanctum irremissibile, primum, post acceptam veritatis noticiam: deinde vero ἐκασίως, voluntarie committi asserit. cap. 10, 26.*

44. *Duobus autem modis haec etiam blasphemia in Spiritum Sanctum committitur: Vel enim tota & universa Evangelij doctrina, eo quo jam diximus modo, oppugnatur: vel aliqua saltem ejus pars.*

45. *Priore modo peccarant in Spiritum Sanctum Phariseorum nonnulli, qui licet, cum doctrinae Christi evidentiâ, tum etiam stupendorum miraculorum excellentiâ, in consciencia essent convi-*

N 3 ti.